



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Temeritas dupliciter considerari potest.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

## Sufurratio. 531

iudicium temerarium de scelere personaliproximi, est peccatum mortale: suspitio autem temeraria quantumcunque vehemens, est peccatum veniale.

*Obloquentio amicitiam inter amicos minuēs vel destruens peccatum est.*

**S**ufurratio (hoc est obloquentio ad amicitiam tollendam inter aliquos) peccatū est mortale ex suo genere: quia tendit ad nocendum proximo, utpote tollere volens maximum bonum, scilicet amicum. Et est grauius peccatum quā contumelia & detractio, quāto amicitia melior est fama & honore. Contingit tamen sufurationem esse peccatum veniale propter imperfectionem actus vel ex parte intentionis, quia non intendit contra amicitiam, licet materialiter dicat aliquid prouocatiuum cōtra amicum. Et hoc nisi ex grauitate nocementi actus redeat in naturam suae speciei: quia tunc esset peccatū mortale: ut de detractioe materiali dictum fuit. Vel ex parte eius quod dicitur: puta quia minimum est ad prouocandum contra amicum. Vel ex parte modi, quia iocosē dicitur, & non seriō. Communiter enim haec sunt venalia.

*Temeritas dupliciter considerari potest.*

**T**emeritas (qua absque ratione regulante opera fiunt) manifestē peccatum contra consilii rationem est. Et dupliciter inueniri consuevit. Vel ex impetu appetitus passionē affecti: ut apparet in iracundis. Vel ex contemptu regulae directivae: ut patet in superbis despicientibus aut quasi despicientibus subiecti alienae regulae, & temerē propterea agentibus ea quae fecisse postea poenitet.

*Est autem peccatum veniale vel mortale temeritas*

*kkj secundum*

secundum subiectam materiam. Si enim iocosa aut officiosa est materia, veniale peccatum est: Si autem perniciofa, peccatum mortale est, quia contra dilectionem Dei aut proximi est.

*Deum tentans præsумens explorare suam naturam, peccat grauiter.*

**T**entatio Dei (qua homo explorat diuinam potentiam, scientiam vel voluntatem) peccatum est mortale ex suo genere: quia irreuerentiam exhibet diuinæ excellentiæ dubitando de illa. Et hoc intellige formaliter: hoc est de tentatione Dei ex intentione tentandi Deū: quemadmodū de cæteris vitiis formaliter doctrina intelligenda est. Aduerte tamen hic duo. Primum est quod circa voluntatem Dei aliud est querere humiliter à Deo instructionem quid circa aliquid particulare velit, ex aliqua rationabili causa: & aliud est querere à Deo instructionem seu notitiam eiusdem absque rationabili inquirendi causa. Primum enim ad charitatem, humilitatem, ac prudentem religionem spectat: & propterea liceret petere signum ad hoc opportunum. Secundum autem ad irreuerentiam diuinam spectat. Si enim diuinæ excellentiam voluntatis homo reueretur, non nisi ex rationabili causa præsumeret querere secretum illius velle nosse: vt experimur in hominibus, nullus enim absque irreuerentia principis querit absque rationabili causa à principe quid ipse velit, sicut nec quid sciat aut quid possit. Secundum est, quod tētare Deū materialiter (hoc est non intentione explorandi diuinū posse nosse aut velle) non est peccatum mortale, nisi magnitudo seu qualitas tentationis reducat actū in naturā suæ formæ: sicut de aliis peccatis dictū est.